Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1153

Quelle:
Copyright:

praeſcriptum: *Hunc librum dedit Dominus iohannes hannhaupt de Harrazz ad Mawrbach. Qui legis in eo ora pro eo.* Et ſubſcriptum: *Explicit Hugo de ſacramentis de ſancto victore finitus per Johannem de Harrazz Monachum huius domus videlicet vallem omnium ſanctorum.* Abolita nunc eſt haec Carthuſia *Viennae* adſita. Nomen *Harras* pluribus infer. *Auſtriae* locis commune eſt; non enim *Johannes* iſte e vetuſta *Hrzaniorum de Harras* Stirpe fuerit. Ad calcem adjecta ſunt eadem de *Hugonis* Vita, quae ſuperiore Codice.

CCCCLXVI.

R. 3041 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior 395. f. per duas columnas minutius ſed nitidiſſime ſcriptus, minio diſtinctus, et principio deauratus haec praefert: *Hunc librum dedit monaſterio Sancte dorothee wien. dominus Andreas Cancellarius domus Auſtrie fundator prefati monaſterij Canonicorum regularium ſancti Auguſtini.* Itaque poſt annum 1410. quo dictus *Andreas* cognomine *Plank*, ſimul *Garſienſis* Parochus ejus Canoniae fundamenta jecit. Ineſt vero huic Libro I. *Hugonis de S. Victore* Opus *de Sacramentis* jam pluries a me relatum, et impreſſum T. III. *Opp. Rotomag.* 1648. p. 482. f.

II. *fol.* 126. ſuccedit *Liber ſancti Auguſtini contra quinque Hereſes.* Initium eſt: *Debitor ſum fratres fateor non neceſſitate* &c. Dictus etiam *contra quinque Hoſtium Genera*, et ab *Auguſtino* abjudicatus legitur nunc in *Adpend.* T. VIII. Edit. *Maur.* p. 1.

III. *fol.* 137. ſequuntur CLXXX. *Auguſtini Epiſtolae*, ſed in iis eſt ſubpoſititium Ejus cum *Bonifacio* commercium conſtans *Epiſtolis* XVI. et *Epiſtola ad Licentium* edit. *Maur.* T. II. *col.* 38. hic in III. diviſa eſt. Praeterea *Epiſtola* nobis XI. *ad Italicam* inſcribitur; eſt vero nihil aliud, quam Compendium prolixae *Epiſt.* ſeu *Libri ad Paulinam de videndo Deo*, ad quem notant *Mauriani col.* 495. etiam ſibi Compendium iſtud in *Mſs.* occurriſſe. *Epiſtola* nobis XXXII. *Maur. col.* 42. *ad Paulinum* a Miniatore perperam et *Theraſiae* inſcripta eſt. *Epiſtolam* nobis CLXXVI. *Maur. col.* 853. *ad Paſcentium* idem *Librum* inſcripſit. Ceterum Patrum Epiſtolas in Codicibus nullo ordine vagantes cum Editis contendere, non parum habet moleſtiae.

IV. *fol.* 309. Ejusdem *Libri IV. de Doctrina Chriſtiana* praevio loco e *Retractationibus*, prout extant Edit. *cit.* T. III. P. 1. *col.* 1.

V. *fol.* 342. *Epiſtola* ſeu *Liber* Ejusdem *ad Dardanum de Praeſentia Dei*, ut T. II. *col.* 678.

VI. *fol.* 345 — 46. Excerpta II. ex Ejusd. Tractatibus *de Oratione Dom.* et *de Eleemoſyna.*

VII. *fol.* 347. *Epiſtola* prolixa illa, cujus ſupra memini, *ad Paulinam de videndo Deo*, ut Edit. *cit.* T. II. *col.* 473.